riæ, Judex Arboreæ, & tertiæ partis Regni Kallaris, egregius Piſanus Civis, & D. Oddo Gualduccii Reipublicæ Promotor, atque Auctor egregius, in priſtinum dominium Piſanæ civitatis pervênit tempore prædicti Domini Ricciardi de Villa Piſani Poteſtatis, & Domini Bonifacii de Gorzano ſupradicti Capitanei Piſani Populi in Antianatu ſupraſcriptorum ſcilicet, eodem Anno XIV. Calend. Auguſti. In recuperatione verò ſupradicti caſtri, & villæ Sanctæ Giliæ, magnifici Viri Johannes Vicarius, & Judex Gallurenſis, & Dominus tertiæ partis Regni Kallaritani, & Ugolinus, & Gerardus Comites de Donoratico, Domini itidem tertiæ partis dicti Regni Kallaritani, viriliter & magnanimiter ſe habuerunt, non dubitantes ſe exponere periculo perſonarum. Piſanorum, Venetorum, & Januenſium pax paulò poſt facta fuit, mediante ſupradicto Sanctiſſimo Patre & Domino Noſtro Summo Pontifice Alexandro.

Florentinorum & Lucenſium conflictus in partibus Senarum habitus fuit per Senenſes, & egregium Dominum Jordanum de Alſiano, Dei & inclyti Domini Manfredi Regis Siciliæ gratiâ Comitem Sancti Severini, Regium in Thuſcia Capitaneum Generalem, tempore Domini Athonis de Pirovano Mediolanenſis Piſanorum Poteſtatis, & Domini Opithonis Gerardi, Alberti Ruber de Parma Capitanei Piſani Populi, in Antianatu Dominorum Aldigerii, & Bonajuncte Ucelli Judicum & ſociorum Anno 1261. Indictione tertia die Sabbati quarta Septembris; in quo quidem mortui fuerunt X. millia, & capti, & Senas ducti XX. millia.

Anno 1262. Recuperata eſt à Palæologo Imperatore civitas Conſtantinopolis.

Ripæ-Fractæ caſtrum nequiter per Florentinos detentum, recuperatum fuit à Communi Piſano tempore ſupraſcriptorum Poteſtatis, Capitanei, & Antianorum Anno jam dicto 1261. VIII. Cal. Octobris.

Anno ſupradicto 1262. Alexander Papa IV. obiit apud Viterbium VIII. Cal. Junii.

Societas facta eſt inter nos, & alia Communia Thuſciæ contra perfidos Lucanos, & Guelfos receptatos ibidem VI. Cal. Junii Anno eodem.

Pons Spinæ inceptus fuit eodem Anno die Lunæ XII. Calen. Julii in Antianatu Vectulii, & Rainerii de Sancto Caſſiano Judicum, & ſociorum.

Podio Bonizo pro reædificatione murorum donavimus libras quingentas.

Montepulcianum fuit habitum à fratribus noſtris Senenſibus ſupradicto Anno, & Indictione, quinta die intrante Julio.

Sancta Maria ad Montem fuit habita à Communi Piſano tempore Ghiberti Parmenſis, Piſani Poteſtatis, & Domini Rainerii Panciæ de Buchabadatis Mutinenſis Capitanei Piſani Populi in Antianatu Montis de Vico Judicis, & Jacobi Arduini, & ſociorum 1262. XII. Calend. Octobris in Vigilia Feſtivitatis Sancti Matthæi, exiſtente in dicto exercitu egregio Comite Domno Jordano pro Excellentiſſimo Domino Rege Manfredo Siciliæ in Thuſcia Vicario Generale.

Mons Carvuli fuit habitus à Communi Piſano ſupraſcripto tempore V. Calend. Octobris.

Galleta Burgus fuit captus ab exercitu Piſano, & incendio concrematus tempore D. Jacobi Botticellæ Papienſis Piſani Poteſtatis, & Domno Ugolino de Sexo, & Domno Rogerio Piſani Populi Capitaneis in Antianatu Tempanelli Judicis, & ſociorum 1264. Ind. decimoſexto Cal. Julii exiſtente in dicto exercitu egregio Domno Franciſco Simplice Regio Vicario Generali in Thuſcia.

Pons Cappiani & Turris fuerunt captæ à ſupradicto exercitu pridie Cal. Julii. Cappiani verò caſtrum ſexto IX. Julii.

Montis-falconis caſtrū captum fuit die Mercurii V. Idus Julii, & poſtea funditus deſtructum. Qui exercitus feliciter rediit die Veneris quarto Idus Julii, & duravit hebdomadis quinque.

Anno 1264. Indictione VI. die Martis XI. Septembris, in quo fuit Feſtum Sanctorum Prothi, & Jacinti in Antianatu Ildebrandini Familiati, Dortifecis, Guilielmi Rianis de Sala, Guidonis de Parlaſcio, Orlanducii, & ſociorum, dum quidam de noſtris Rocham Caſtilionis Vallis Sercli intraſſent præcedenti die, illico cum militia & populo noſtræ civitatis brachio potenti accincti, nondum veniente maſnada regia, flumen Sercli nobis tranſeuntibus altum uſque ad ſellas equorum, peditibus noſtris quaſi per flumen natantibus, Lucenſes, & Guelfi cum toto eorum exfortio circum circa ipſum caſtrum exiſtentes, ex nimia temeritate per eos aſſumpta, ex eo quòd dictam Rocham manè ipſius diei habuerunt, in noſtros inſcios efficaciter irruerunt. Nos autem cum eis prælium inivimus, & poſtea Theotonicis ipſis ſupervenientibus, ipſos vertentes in fugam uſque ad pontem Sancti Petri fugavimus. Ex quibus inter nos, & Theotonicos cepimus circa mille, præter infinitum numerum occiſorum. In quo quidem captivorum numero fuerunt Rainerius Ricciardi, & quaſi Capitanei omnes, & meliores partis adverſæ Lucanorum, & Guelforum Florentinorum, Sancti Miniati, Theotonicorum, & Nobilium de Lombardia ſtipendiariorum ſuorum. Poſtea in eadem proxima die Lunæ, videlicet XV. Calend. Octobris, congregato noſtro felici exercitu, ac potenti ſociorum noſtrorum de Thuſcia, & maſnada regia, noſtris ſtipendiis munita, exiſtente ibidem egregio Domino Franciſco Simplice regio in Thuſcia Generali Vicario, exivimus in campis, & die Lunæ ſequenti, videlicet VIII. Calend. Octobris ſeptimæ Indictionis, de Plano Ripæ-Fractæ moventes feliciter caſtra noſtra, caſtrametati fuimus in Plano Caſtellaris de Contefora ad depopulationem dictæ Contratæ; & etiam uſque ad Aquilatæ caſtrum, quod dirui fecimus, & etiam uſque Quicoſam, & Lacum Maciucholi procedentes. Et die Sabbati ſequenti Vigilia Feſtivitatis Sancti Michaelis menſis Septembris III. Calend. Octobris, ultra partes pontis Sancti Petri Valdæ, ab adverſariis ibi tunc exiſtentibus muniti, cùm fluvius vadum non haberet, ipſis adverſariis videntibus, ad populationem Lucenſium proceſſimus; ubi tunc fuit moneta noſtra nova duorum ſolidorum cum effigie victricis Aquilæ coronatæ cuſa. Item curſus noſtri honorabilis palii factus ab equo, & plures milites cingulo novæ militiæ decorati. Sequenti verò die, ſcilicet die Dominico, pridie Calendas Octobris, abſque ulla alia comitiva Theotonicorum cum militibus Senenſibus, & Piſtorienſibus potenter flumen Sercli tranſeuntes, cepimus Fieſſum, & ca-

Muri civitatis Pisane fuerunt completi eodem anno videlicet mense Januarii et etiam pons portus Pis.